

D. D. 16

**THESES
MISCELLANÆ,**

QUAS,

*Suffragante Ampliſſ. Facult. Philoſ. in Reg. Acad.
Aboëniſi,*

PRÆSIDE

D_N. PETRO KALM,

Oecon. PROF. Reg. & Ord. Reg. Acad. Scient. Holm.
nec non Societ. Lit. Upſ. MEMBRO,

PRO GRADU

Publico examini modeſte ſubmittit


JOHANNES NUMMELIN, A. Fil.

Auſtro-Finlandus.

In Audit. Maj. d. XXI. Julii A. MDCCLXVI.

Horis Pomeridianis.

ABOÆ Impreſſit JOH. CHRIST. FRENCKELL.



THESIS I.

Oeconomiam & laborem non nocere pietati, sed magis ei amicam esse, ideoque effatum illud LUTHERI *Ora & labora*, symbolum cujuscunque oeconomi esse debere, autumamus.

TH. II.

Laborem multum medicinæ homini adferre, juxta illud Siracid. XXXI, 27 in omnibus tuis negotiis esto strenuus, & tibi nullus morbus accidet, nemo rem æqua lance pensitans negabit.

TH. III.

Studiosis Academiis frequentantibus, multum incumbendum esse scientiæ Physicæ, non solum ob ejus svavitatem, verum etiam necessitatem, ut cum aliquando evadant oratores sacri, sint potentes nonnullos adversarios refellendi.

TH. IV.

Luxum non modo esse malum morale, verum etiam œconomicum, nemo sanus negare potest.

TH. V.

Ludos Scenicos quidem habere suos defensores non ignoramus, nos tamen eos magis noxios quam utiles esse judicamus.

TH. VI.

Solet mors communiter trifariam dividi, in spiritualem, temporalem & æternam, sed dari etiam quartam, quæ dici potest Civilis, qualem quoque innui Luc. XV: 32 non inconueniens nobis videtur.

TH. VII.

Valde imprudentem illum esse in negotiis suis, qui plus suscipit, quam perficere valet, ideoque effatum Salvatoris Luc. XIV: 28 ei observandum esse existimamus.

TH. VIII.

Quamvis sal sit utilissimum omnium mineralium præcipuumque condimentum, & debito modo adhibitum multum conducat ad fertilitatem terræ, attamen si infatuetur nullius utilitatis esse, nec ad sterquilinum, patet ex Luc. XIV: 34, 35.

TH. IX.

Providentia divina omnino veneranda est in eo, quod graminum fertilitas etiam sit eo major in hisce septentrionalibus quam

meridionalibus orbis provinciis, quo magis ad sustentanda nostra animalia tempore hiemali necessaria sunt.

TH. X.

Lectioem librorum, qui Romanenses dicuntur, fectas narrationes continentium, restringendam omnino esse ad eos, qui bona a malis fecernere queant, existimamus, ne varia vitia manifeste sese exferant.

TH. XI.

Jurisprudentiam civilem Theologo apprime necessariam esse pro certo habemus.

TH. XII.

Ex votorum pluralitate non semper veritatem justitiamque dijudicandam esse, nobis persuasissimum est.

TH. XIII.

Nosse DEum & nosse se ipsum summa est sapientia, ambitiosum autem hoc non facere existimamus; quantum etiam ejusmodi ambitiosus & turgidus sui amor excolendis ingeniis noceat, ab effectibus exinde emanare solitis judicatu facile est.

TH. XIV.

Ne quid insipide agamus circa omne negotium suscipiendum, hæcce quæstio instituenda est: *Cui Bono?* unde patet œconomi cujuscunque finem esse debere ut dives sit.

TH. XV.

Nostram vitam non bene posse iis solum sustentari, quæ a Sir. XXIX: 26 & XXXIX: 31 enumerantur, verum etiam requiri pecunias, quæ omnium utilissimæ sunt, existimamus.

TH. XVI.

Tempus ordoque œconomo circa quamcunque actionem est observandus, alias litus arare videtur.

TH. XVII.

Inertia multorum parentum nostri avi, in educandis liberis proh dolor! tanta est, ut in illos dictum cujusdam satis quadret, *qui se Megarensis arietem esse male, quam filium fatebatur*; hinc non sine caussa exclamandum cum Thebano Cynico: *quorsum ruitis homines, qui omne studium in pecuniis collocatis, filiorum vero, quibus eas relinquatis, nullam habetis curam*, sunt etenim ejusmodi Parentes omni erga liberos amore destituti, & parum solliciti de

Chri-

Christianismi salutisque Reipublicæ incremento, quæ in omnibus dependent a bona liberorum educatione & institutione.

TH. XVIII.

In determinato autem vitæ genere, summus omnium laborum finis esse debet publica salus.

TH. XIX.

Ut laudanda parcimonia, ita vituperanda est tenacitas, quantum etenim per illam adstruitur, tantum per hanc destruitur œconomia, quod annuente Auctore Prov. XI: 24, adferimus.

TH. XX.

Male collocata est illa œconomia, ubi plus consumitur quam acquiritur.

TH. XXI.

Decet utique quemlibet œconomum, omne quod vel dat vel accipit, in codicem referre, adferente Sirac. XLII: 7. modo omnis diffidentia providentiæ Divinæ absit.

TH. XXII.

Quamvis non negandum Architecturam partem œconomiaæ necessariam esse, Agriculturæ tamen postponendam, verissimumque esse illud CATONIS: *Patrem familias adificare diu cogitare oportet, agrum conferere cogitare non oportet, sed facere oportet*, ducimus.

TH. XXIII.

Jaçturam rei famiiliari etiam adferre arbitramur fervientium multitudinem, nullius fere utilitatis gratia, sed ob vanam solum gloriam sustentatam; unde sapissime hoc patescit: *quod adificare domos & corpora pascere multa, ad paupertatem proximus sit aditus.*

TH. XXIV.

Simplicitati linguæ Græcæ illorum sententiam contrariari, qui per vocem *καμηλον* Matth. XIX: 24. Marc. X: 25. Luc. XVIII: 25 volunt intelligi funem nauticum crassiolem, indubie affirmamus.

TH. XXV.

Cibi utilitas non de palato sed ex eo, quomodo convenit corpori nostro, judicanda est.

TH. XXVI.

Iridem existisse ante diluvium Salva Sacra Scriptura adferi potest.

